UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

V. Hasso von Wedel schenkt dem Kloster Marienwalde 10 Hufen in Regenthin für seine Aufnahme in das Grabgewölbe des Klosters und die Gemeinschaft aller guten Werke, am 6. Juli 1305.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

IV. Die Markgrafen Otto, Konrad, Heinrich und Johann überlassen dem Kloster Marienwalde das Dorf Meusdorf, am 7. Dezember 1297.

Otto, Cunradus, Henricus et Johannes, dei gratia Brandenburgenſes et de Landisbergk Marchiones, vniuerſis Chriſti fidelibus has literas inſpecturis ſalutem in domino. Que in rebus humanis fiunt, Ideo literis inſeruntur, vt que humana fragilitas diu mente non recolit, ad memoriam reuocet, quando velit, et vt factorum ſeries etiam poſteris ſicut preſentibus nota fiat. Nos igitur eiſdem de cauſis ſubiecta tradimus ſcriptis publice proteſtantes, Quod dilectis nobis fratribus ordinis Ciſtercienſis de nemore ſancte Marie degentibus pro octoginta marcis argenti Brand. villam Meuſdorff vendidimus, que in agris et merica ſimul ſexaginta quatuor manſos continebit. Donantes eiſdem fratribus predicte ville tam in agris quam in lignis, aquis, paludibus, pratis, paſcuis, piſcationibus et aliis omnibus vtilitatibus, que in predictis bonis haberi poterunt, omnem proprietatem Jure perpetuo poſſidendam. Volentes hanc noſtram venditionem ſiue donationem a cunctis noſtris ſucceſsoribus ſiue heredibus ratam et gratam inuiolabiliter obſeruari. Sed ne cuiusquam ſtulta et vana preſumptio hanc audeat vel valeat violare, preſentem paginam ſigillorum noſtrorum forti munimine duximus roborandam. Ceterum vt vndique peruerſis malignandi tollatur occaſio, etiam huius facti teſtes idonei ſubſcribuntur: Fridericus de Eckſtedte, Joannes de Oldenflit, Romolo, Haſso, Zulis et Ludolfus, fratres, dicti de Wedele, Buſso de Cocſtede, Joannes de Sydow, Henricus de Doſsa, Gherardus de Falckenberg, Henricus Mortſin, Joannes Bloc, Blumeco, Theodericus de Hetzdorff, Jacobus de Wolgaſt, Milites, et Buſso de Cocſtede, tunc temporis noſter aduocatus et alii quam plures fide digni. Actum et datum ſupra Grimnitz, Anno domini M°. ducenteſimo Nonageſimo ſeptimo, VII. idus decembris, In octaua videlicet Sancti Andree Apoſtoli, et data per manum domini Joannis de Kleppelshagen, noſtre Curie Notarii et Cappellani.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 141. Meuß oder Meusdorf war im 16. Jahrhundert eine wüste Feldmark.

V. Haſſo von Wedel ſchenkt dem Kloſter Marienwalde 10 Hufen in Regenthin für ſeine Aufnahme in das Grabgewölbe des Kloſters und die Gemeinſchaft aller guten Werke, am 6. Juli 1305.

Vniuerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris Dominus Haſso, dictus de Wedele, in Caſtro Dryſen reſidens, ſalutem in perpetuum. Cum teſtante ſcriptura nihil intulerimus in hunc mundum nec cuiquam hominum ſane mentis dubium, quin etiam nihil de omnibus laboribus, reditibus ac bonis temporalibus poſt hanc vitam deportemus et nihil aliud reperiemus, niſi quod in vſus pauperum et ad honorem et laudem Dei et omnium ſanctorum ſuorum eſt expenſum; Quod nos fideliter ex diuini muneris inſtinctu recognoſcimus et perpendimus, in remedium et refrigerium et ſalutem anime noſtre, vxorum, filiorum et filiarum, patris et matris et omnium amicorum noſtrorum

Clauſtro, quod Marienwalde nominatur, in quo ſepulturam elegimus deuoti, Contulimus in villa noſtra Reddentin decem manſos cum omni Jure ad altare beatorum angelorum, in quo ſingulis diebus vel ad minus ſemel in heptomada debet miſsa pro defunctis iugiter celebrari tali Jure, vt in illis nullam grandiam conſtruant et illa interpoſita Cautione, quod ſi nos vel noſtri heredes dictos manſos redimere decreuerimus, LX talenta Brandenb. denar. exſoluemus pro eiſdem, Cum aut XXX talenta exſoluerimus, quinque retinebimus manſos; Poſtquam vero alia XXX talenta dederimus, integraliter ad nos reuertantur. Extunc ad predictum altare alios X manſos apponere non retardent. Inſuper nos et omnes parentes noſtros non ſolum participes eſse fecerunt miſſe illius altaris antedicti, Sed omnium miſſarum, que ſingulis diebus ad gloriam et honorem Clementiſſimi Dei in dicto Clauſtro leguntur et canuntur et omnium orationum et operum miſericordie, que ab eis et in futurum a poſteris eorum ad reuerentiam Saluatoris noſtri et glorioſiſſimi genetricis ſue et omnium ſanctorum ſuorum ſuffragantur ſeu perſoluuntur. Teſtes huius donationis ſunt dominus Jo. prepoſitus de Curicou et dominus Henricus, prepoſitus de Bernſtein et Dominus Petrus de Kulitzdorff, Sacerdotes et dominus W. de Wedele, ſenior, et dominus Haſſo de Wedele in Kremtzo, milites, et Ludouicus de Wedele, filius Ludolfi de Wedele, ſenioris, et alii quamplures fidedigni. Ne igitur in poſterum aliquibus ſcrupulus aliquis ſeu dubium ſuper iſta donatione oriatur, In huius rei teſtimonium preſens ſcriptum noſtri Sigilli munimine fecimus roborari. Datum anno domini M°. CCC°. quinto, in octauo beatorum Apoſtolorum Petri et Pauli.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 98.

VI. Markgraf Woldemar beſtätigt dem Kloſter Marienwalde die Begabung ſeines Vaters und vereignet demſelben die Güter Kloſterfelde, Bernſee, Abteshagen, Meusdorf, Neuen Plagow, Rechentin und Lamprechtsdorf, am 25. September 1305.

Woldemarus, dei gratia Brandenburgenſis, Luſatie et de Landeſbergk Marchio. Vniuerſis preſens ſcriptum viſuris ſeu audituris ſalutem atque noticiam ſubſcriptorum. Neceſsaria eſt rerum geſtarum deſcriptio, ne poſteri obliuione moti denegare valeant maturo priorum conſilio ſtabilita. Quapropter conſtare volumus vniuerſis, tam preſentis quam futuri temporis, et ad ſingulorum noticiam tenore preſentium peruenire, Quod nos conſiderantes eſse pium et ſalubre indigentibus ſubuenire et maxime hiis, qui ob amorem et dilectionem Dei ſeculo et voluntati proprie renunciarunt. Propter quod quidem in remiſsionem noſtrorum peccatorum et ſalutem animarum nobis carorum, videlicet dominorum Conradi patris et Johannis fratris noſtri, quondam de Brandenborch Marchionum felicis recordationis, dedimus et donamus dilectis nobis in Chriſto fratribus ordinis Cyſtercienſis in Clauſtro Marienwolde penitentibus larga donatione vniuerſaliter ſingula et ſingulariter vniuerſa ea bona ſcilicet Trecentos manſos agrorum iuxta ſtagnum et nemus Starutz, Et ducentos manſos iuxta idem ſtagnum pro paſcuis habendis, que cariſsimi Nobiles videlicet domini Otto, patruus, et Conradus, pater noſter eiſdem fratribus iuſto ac legitimo proprietatis titulo liberaliter donauerunt, eodem titulo poſsidenda perenniter et habenda. Recognoſci-